



QVÆSTIONEM
**AN HOMINES OMNES ET
SINGULI AD STUDIUM LOGICÆ
ARTIFICIALIS OBLIGEN-
TUR?**

DISSERTATIONE PHILOSOPHICA
AUSPICIIS DIVINIS
INDULGENTE
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM COLLEGIO,
PRO LOCO
IN EODEM OBTINENDO,
ULTIMA VICE
EXHIBENDA EXPENDIT
M. BENEDICTUS GOTTLÖB CLAUSWITZ,
S. TH. BACCAL. ET AD AED. S. PETRI CATECH.
A. C. N. 15cc XVIII. DIE III. DECEMBER.

LIPSIAE,
TYPIS IMMANVELIS TITII.

1624

AN HOMINIS OMNES ET
SINGULAD STUDIUM LOGICAE
ARTIFICIALES ORIGEN
TUTUS
DISSESTITUTIONE PHYSIOPHICA
VERSICUS DIVINIS
INDEPENDENTIA
MULTISSIMO PHYSIOLÓGIA GOTTLO
PRO LOCIS
IN EODUM ORGANIS
ULTIMA AGES
EXTRAVAGANTIA VASIVITAT
M BENEDICTUS GOTTLOB CLAVARIUS
2. IN PACCHI TIT. AD. 2. TERTII CATHCH
A. M. D. P. A. S. B. S. D. M. C. M. S.
TATI IMMUNIBVS TITI



§. I.

Um Dissertatione priore, quam de Occasio & obligatione hominis circa sensus externos ad veritatis cognitionem adhibendos anno superiore luci publicæ exposuimus, hominem ad cognitionem veritatis obligatum esse capite I. Dis-

*momentum
questionis in-
stituenda.*



sert, ex doctrina rationis declareremus, eodem capite §. 7. ostendimus: Deum velle, ut homo singularem operam in eo collocet, quo firmam facilitatem, quam habitum philosophi dicunt, comparet, veritatem dirigenibus hunc habitum regulis cognoscendi. Facile nobis subolere poterat, questionem hac occasione moveri posse: an ab omnibus & singulis hominibus habitum hunc logicæ quem regulæ perfectiores dirigunt, Deus exigat; Quare & §. 8-ejusdem capitilis hac de re sententiam nostram, quantum materia tum pertractanda permittebat, declaravimus. Ea vero tum erat nostra sententia: hominem quidem obligationem suam longe accuratius & certius cognoscere, & melius observare posse, si habitu cognoscendi

scendi verum quem regulæ logicæ perfectiores dirigunt, polleat, interim tamen habitum cognoscendi verum, qui usu rerum vulgari acquisitus est, cognitioni obligationis, & officiis quantum satis est obeundis, si his cognoscendis recte applicetur, sufficere. Cum vero nonnulla essent quæ dilucidanda magis & difficultatibus quibus urgentur, expedienda viderentur, quærum quidem excuti propter copiam argumenti non poterant, apud animum nostrum constituimus, quæstionem: *an homines omnes & singuli ad habitum logicæ, quem regulæ perfectiores dirigunt, acquirendum, vel ad studium logicæ artificialis obligentur*, hac dissertatione expendere. Res est non omnino nullius momenti, ut certum quid in hac quæstione teneamus. Si enim quæstio affirmanda est, ideo, quod sine cognitione talis logicæ, ea, quæ nobis incumbunt officia, nec recte cognosci possunt, nec voluntas hominis modo, quo creatura rationali convenit, ad illa obeunda potest inclinari, ad studium talis logicæ plures imo omnes invitandi, & qua ratione omnes eo adduci possint, disquirendum esse videtur. Si vero quæstio neganda est, si de omnibus & singulis hominibus queratur, opera pretium est indagare, an negationis fundamenta sufficientia peti jam possint ex eo, quod & sine tali Logica homo officia sua agnoscere, illaque eo modo quo creatura rationali convenit, exsequi possit: an vero ex defectu virium & mediorum huic studio necessariorum omne fundatum negandi sit petendum, vel num utrumque momentum negationi inservire possit. Quod si quæstio negetur, opera pretium est indagare, num homini- bus

bus illis, qui tali logica instructi non sunt, judicium de veritate relinquī possit, qua deinde præluente modo creaturæ rationali convenienti voluntas eorum ad agendum flectatur. Operæ quoque pretium est, quod si quæstio negetur, si de omnibus & singulis humanæ speciei individuis quæras, an & eandem negare possis, si de eruditis quæras, explanare. Poterit vero ex his, quæ sit necessitas utilitasque Logicæ, quæ regulis quas acroaticas dicere forte non incongruum esset, traditur, declarari. Videri quidem posset, nos frustra hanc quæstionem movere, cum id sane, quod hoc fieri non possit, ut quilibet logicæ artificialis regulas addiscat, ab ipsa obligatione liberare nos videatur; Ast cum non omnis virium ad agendum defectus, si forte culpa sua obligatus hunc sibi contraxerit, immunes nos ab obligatione præstet, in ipsa tractatione hujus Dissertationis disquirere, quænam speciei humanæ individua, obligationi eximantur & in quantum defectus virium ipsum officium tollat, rem non prorsus inanem esse existimamus.

§. II.

Hoc omnino sumimus, dum hoc argumentum *Presupposita.*
pertractamus, *homines, speciem nempe humanam obligari,*
ut habitum cognoscendi verum opera quoque adhibita com-
parent, id quod Dissert. priore ita probavimus. Deus
veritatis cognitionem consecrandam ab genere humano
animo intendit, & ab eodem exigit, est vero habi-
tus verum recte cognoscendi medium tutum maxime
commodumque imo necessarium veritatem cogno-
scendi, quare Deum sapientissimum & vanitatis

omnis expertem, cum finem velit, medium ad hunc finem obtinendum & necessarium & justum pari ratione velle, & ab humana natura ut hoc eligat poscere collegimus. Estenim humana natura hujus omnino obligationis capax, iis quippe facultatibus ab optimo rerum opifice instructa, ut non tantum ipsa verum cognoscere, sed intellectus quoque humanus, quæ sit recta ad veritatem pervenienti via observare, regulas hanc dirigentes notare, secundum illas agere sapientius in cognoscendo vero, sive alacritatem recte cognoscendi confirmare exercitatione possit. Præterea cum verum & necessarium ex intentione creatoris hominis bonum cognitionem veritatis esse dissertatione priore ostensum fuerit, ratio agnoscit, si quidem cognitio ista sine habitu, habitus vero recte agendi sine adhibita quadam animi attentione & opera acquiri satis non possit, velle creatorem, ut opera, quomodo cunque id fiat, adhibeatur, habitui acquirendo adhibeatur: eadem quoque judicat hanc esse creatoris voluntatem, ut, quoties natura humana iis perfectionibus, quibus obligatio innititur, in hoc vel illo individuo praedita sit, ab eodem individuo habitum logicæ opera quantum sufficit adhibita acquisitum, quomodo cunque demum id fiat, exigat.

§. III.

Fundamenta questionis explananda in-dicantur. Sed ut hæc magis dilucide explicentur, questiones omnes & singuli ad studium Logicæ artificialis obligentur exponendæ inservitura, duæ potissimum questiones ad rem explanandam ex principiis suis recte de-cla-

clarandæ erunt: 1) investigandum est, an logicæ artificialis regulæ & habitus verum cognoscendi, quem regulæ acroaticæ dirigunt, absolute necessarius sit, si quidem homo veritatem, quam absolute nosse debet, cognoscere & obligationis sua, qua ipse necessario constringitur, satisfacere velit. 2) Quæritur, an cuivis homini, si officia necessaria erga Deum, naturæ socios, & que in ipso desinunt, observare velit, tempus & media alia suppetant, que ad talem logicæ habitum, quem regulæ dirigunt, acquirendum sufficiant.

§. IV.

Si quæras¹) in quantum regulæ logicæ perfectiores
 & habitus logicus usu harum regularum confirmatus ne-
 cessaria sint, si homo obligationi sua, qua necessario te-
 Membrum I.
 quenam sit
 netur, satisfacere velit, id invenies, si, quæ nam hominis obli-
 gatio sifitur.
 sit obligatio, & quid ad illam cognoscendam atque obser-
 vandam regulæ logicæ modo dictæ & habitus intellectus,
 quem illæ dirigunt, conferant consideraveris. Diximus“
 vero in Dissert. priore hominem obligatum esse, ut in“
 genere faciat ea, quæ ad suam aliorumque hominum“
 veram felicitatem pertinent: in specie, ut faciat ea, quæ“
 ad sui aliorumque conservationem, institutionem in“
 veritate, illa quidem, cuius cognitio vera & necessaria“
 hominis bona promovet, tranquillitatemque animi“
 procurandam, promovendam & conservandam perti-“
 nent, cumque hæc omnia non nisi in societate com-
 mode obtineri possint, Deum velle, ut homo in socie-“
 tate vivat, conclusimus.“

§. V.

Membrum 2. Quidnam vero præstant quæsò regule logicæ, theses nem-
 In quantum pe abstractæ, quæ exemplis præviis compositæ sunt, viam
 actiones homi- que & rationem mentis nostræ, quam illa tenet, dum
 num ope habi- verum a falso recte separat, declarant, *s' officia cognoscere*
 gnosendi non *& recte explere velimus?* Quis est ad officia recte obeun-
 dirigantur. da usus habitus logici h. e. firmæ mentalis facilitatis co-
 gnitione solida & applicatione recta harum regularum
 acquisitæ, qua rectas de rebus ideas formare, dividere, de
 objecto enunciationes componere & ratiocinari possi-
 mus? Quod si accuratius expendamus, hoc omnino ve-
 rum esse deprehendimus, posse aliquem facere ea, quæ ad
 sui aliorumque conservationem, ad conservationem in-
 dividui & speciei pertinent, in quantum hæc nobis cum
 brutis animalibus communia sunt, etiam si de iis, quæ
 ad hæc absolute necessaria sunt, nec ideas accurate for-
 mare, nec recte definire, eadem dividere, enunciare de
 iis, aut ratiocinari sciat, multo minus præcepta ex Logi-
 cis, quæ doctrinam de ideis, definitionibus &c. expli-
 cant, cognita satis habeat. Ex instinctu enim naturali,
 quem creator sapientissimus homini indidit, ut ad ea,
 quæ naturæ humanæ propagandæ & conservandæ abso-
 lute necessaria sunt, ratione quoque abusurum compel-
 leret, hæc jam satis innotescunt. Eodem modo in so-
 cietates majores primum coivisse homines existimem,
 instinctu magis naturali & necessitatibus, quas facile
 sentire poterant incitatos, quam argumento-
 rum de convenientia actionis hujus cum lege efficacia
 compulsos.

Verum licet actionibus naturalibus eo quidem modo,
quo animantia bruta iis defunguntur, & sine habitu ve-
rum cognoscendi defungi homo possit, exque actiones
quas ratio & diriger poterat & debebat, si & instinctus in
illas magna vis sit, primum stimulante instinctu s^{ap}e su-
scipientur: tamen si intentioni divinæ congruere actiones
hominum humanæque dici debeant, omnia quidem
sic peragenda sunt, ut non nisi prævio intellectus decre-
to de convenientia illarum cum lege, quicquid voluntas
concupiscit & aversatur, exequamur. Si vero ita de
convenientia actionis cum lege judicare debet intellectus,
necessæ est, ut nexus propositionis practicæ qua^e
actionem dirigit cum suo principio perspiciat, cui qui-
dem deprehendendo opus est, ideas qua^e has propositiones
ingrediuntur, illarumque & fundamentalium idea-
rum subordinationem nosse, quod sine definitione ea-
rum saltem mente facta fieri nequit. Tale vero judi-
cium de convenientia actionis cum lege ferre non pote-
rit intellectus, cui habitus cognoscendi verum deest. Etsi
enim facultas cognoscendi verum homini sit congenita,
quam nonnulli logicam naturalem dicunt, hanc tamen
eam esse, ut viam qua^e ad veritatem ducit, invenire qui-
dem, facilius vero ad avia deflectere, & pro Junone nu-
bem, pro veritate errores amplecti possit, experientia re-
rum magistra nos condocet. Hæc vero facultas intell'gen-
di qua^e de convenientia actionis cum lege recte judicat,
ea non erit, qua a regia ad veritatem perveniendivia aber-
ramus: Erit ergo facultas qua^e recta via incedit; at quam
diu usu crebriore facultas intelligendi confirmata non

*In quantum
habitus verum
cognoscendi
officia hominis
dirigat?*

B est,

est, rectam ad veritatem viam ita quidem tenere non poterit, ut de convenientia actionis cum lege tuto judicare possit. Est igitur non nisi facultas intellectus nostri, quæ veritatem recta via sèpius consectando satis confirmata est, cui de convenientia actionis cum lege judicium possit permitti: sed facultatem ita confirmatam habitum cognoscendi verum dicimus. Facultas hæc ita confirmari non poterit, ut recta via ad veritatem prompte incedat, nisi ideam veri falsique & modorum quibus verum obtinemus & in errores prolabimur, quantum satis est, teneamus. Ast ut has ideas ita teneamus, in ordinem antea redactas esse oportet, quod sine attentione quadam ad ea quæ in animo geruntur, & ope judicii factum esse non poterit. Hæc si jam brevibus complecti velimus, res eo redit, hominem modo, qui creaturæ rationali convenit, agere non posse, nisi prævio intellectus de convenientia actionis cum lege judicio: judicium tale non nisi ab intellectu habitu cognoscendi verum pollente elici posse: habitum vero accidente ad exercitationem attentione quadam animi ad ea quæ in intellectu nostro geruntur acquiri. Ex quibus denique concludimus, homines omnes, quos eo, quo creaturæ rationali convenit, modo, agere in officiis obedire Deus vult, obligari, ut tali quidem habitu cognoscendi verum adhibita quæ requiritur ad id animi attentione intellectum instruant.

*In quantum
logica artifi-
cialis officiis
eiusmodi homi-
nis recte ob-
eundis infer-
iat, speciali-
us declaratur.*

§. VII.

Ast propterea necesse non est, inquis, ut omnes regulas logicæ acroaticas discant, & habitu ex praxi secundum illas instituta acquisito polleant. Pergis enim: hominem in contemplatione & usu variarum rerum occu-

occupatum hac exercitatione habitum cognoscendi verum acquirere, quo idoneus reddatur ad veritatem recte cognoscendam, et si unquam ex compendio logicæ didicerit, quid ad demonstrationem & probabilitatem & sic porro requiratur. Quod quidem facile do posse scilicet hominem usū quoque rerum vulgari habitum in cognoscendo vero adipisci, hominesque inveniri egregia facultate naturali præditos, qui majorem sāpe hac ratione acquisiverunt in cognoscendo vero alacritatem quam ii, qui vel debiliore facultate naturali prædicti, habitum præuentibus regulis compararunt, vel facultate naturali satis quidem pollentes regulis vel inutilibus vel falsis habitum cognoscendi verum corruerunt. Ea enim est, fateor, intellectus in primis vegeti ratio, ut, licet actu quem dicunt reflexo attentionem suam non satis experiatur, observet, quid verum quid falsum sit, imo regulas homines hujus ingenii ex praxi sua sibi ipsi præscribunt, mente scilicet theses quasdam tenent, quæ viam, quam intellectus noster in cognitione veri feliciter terit, declarant, sed theses has nullo quidem nexus systematico, quo ab iis, quæ priora sunt, ad ea quæ ex his consequuntur, quodlibet ad classem suam referendo progredimur, conjunctas tenent, & propterea si vel maxime in cognitione veri secundum regulas suas agant, ipsi quod ita agant, non tam clare sentiunt. At vero tam solida tantaque cum certitudine habitus cognoscendi verum non acquiritur usū vulgari regulis formatis & praxi ad illas instituta, quam si regulæ quas acroaticas dicere possis, & solidæ & quæ in praxin commode deduci possint, cateris paribus totum negotium dirigant.

*dign. §. præ-
ced. in summa
exhibentur.*

Quibus positis id utique asserendum mihi esse videtur, quod habitus logicæ quem regulæ dirigunt quas systemata naturæ in cognoscendo vero viam ordinis distincto declarantia docent, multum quidem commoditatis omnibus & singulis afferat, siquidem obligationi sua satisfacere velint, quod vero necessitatis absolute respectu omnium hominum non sit. Ex quo etiam patet, non tam strictam esse omnis hominis obligationem ad studium logicæ quam artificiale dicunt, quam ad eā, quæ absolute sunt necessaria. Cui quidem assertioni lux quoque affundetur, si ad quæstionem secundam, quæ ad rem declarandam facit, attendatur.

*Quest. 2.
solvitur*

Si ergo quæras II) an omnibus & singulis, si alia erga Deum, naturæ & socios, & que in nobis ipsis destinunt, officia observare velint, tempus & reliqua media suppetant ad habitum logicum, quem regulæ acroaticæ dirigunt, acquirendum? Hac in re omnino manifestum esse putem, quod ars longa, vita vero brevis, variaque brevis hujus vitæ necessitates eo rem deducant, ut quodlibet individuum speciei humanæ non omnia ea quæ ad conservationem vitæ naturalis & civilis, imo & christiana pertinent, solide addiscere & ad usum transferre possit, ex quo omnino factum est, ut aliushoc, aliis vero aliud vitæ genus, quo vel de necessariis vel de commodis humanæ societati prospicitur, elegerit: quod & sapientissime providentia divina dispositum, quo societatis inter homines vinculum eo arctius constringeretur. Ac-

cedit

cedit & hoc, quod tempus quoque & alia media non sufficient ad hoc ipsum ut aliquis omnia possit. Et si forte quis regerat: licet non omnia, plura tamen, quæ eo spectant, ut necessitatibus humanis consulatur, tenda esse, & inter illa imprimis ea quæ inserviant omnium reliquorum cognitioni, quo etiam studium logicæ acroaticæ spectet; responderi potest: plurimis nec tempus nec reliqua media superesse, ita quidem, ut illa plura tenere possint, & si præter illud vitæ genus, quod excolunt, plura tenere debeant, necessaria commodis esse præferenda. Quapropter cum & habitus logicæ, quem regulæ acroaticæ dirigunt, iis quæ sunt commoda, magis quidem annumerandus sit, a pauperiore rustico, opifice & aliis, qui in eo, ut operis suis vitam sustentent omne tempus collocare necesse habent, præter ea, quæ ad eorum vitæ genus spectant & ad vitam bono cive & inter christianos christiano homine dignam, necessaria sunt, logicam artificialem requiri posse ratio non videt. Valde quidem alias difficile est, certo designare, qua ratione defectus virium agendi & mediorum obligatione hominem liberet. Etsi enim nullum possit esse dubium, hominem ad illa non obligari, quibus perficiendis ipse summus rerum opifex in condenda statim natura vires denegavit, difficulter tamen de iis statuitur, quæ naturæ integræ convenire, adeoque ab ipso Deo intenta esse videntur. Evidem lapsam naturam hominis esse, ratio quoque suo modo colligit, si legem Dei & naturæ ad contraria legi pronitatem perpendit, quæ quidem a Deo benignissimo & vanitatis omnis ex-

perte originem traxisse non poterit: eadem agnoscit quod, si quid naturæ in se spectatae necessario ex intentione Dei conveniat, & culpa naturæ peccantis vires ad agendum deficiant, defectus ita subortus ab officio naturam corruptam non omnino immunem præstet. Verum cum obligatio ad logicam artificialem qualis jam est, ad ea, quæ naturæ integræ ex intentione Dei conveniebant, referri non possit, rationem quidem, ubi defectum virium & mediorum videt, securius in hoc casu immunitatem ab officio asserere judicamus, ipsi in quantum alias defectus virium ad agendum in individuis ad quæ natura corrupta propagatur, culpæ locum faciat, sacrarum paginarum judicio relinquentes.

§. X.

*Contra dubium
respnsionem
prædicti sub-
natum vindici-*

Interea tamen quidquid homines habitu logicæ artificialis desituti in iis, que ad officia Deo, alis & nobis met ipsis præstanta pertinent, cognoscunt, intellectus male instructi præjudicia dicenda non sunt, aut cecum tantummodo obsequium, quod in omni morum doctrina eruditis exhibere debeant, hominibus his tribuendum est. Siquidem hi boni homines talem habitum cognoscendi verum usu rerum vulgari consequi possunt, quo officia, quæ ipsis incumbunt, cognoscere, & si obligatio ad illa a sapientioribus demonstretur, animum suum de eadem obligatione convincere possint. Differunt vero habitus logicæ usu formatus & præjudicia, ita quidem ut præjudicia in scholis philosophorum sint judicia, quæ de rebus

rebus feruntur, antequam ad principia genuinae e quibus de earum veritate judicandum est, attendatur, & ex iis judicium tale eliciatur. Fit hoc, si de re judicemus, antequam ad circumstantias objecti, quae percipi possunt, attenderimus, easque prout decebat, observaverimus. At dum intellectus noster ita de rebus judicat, antequam ad illas ea parte, qua percipi possunt, attenderit, recte observarunt viri doctissimi, illum vel in testimonio aliorum, quos scientia & auctoritate eminere persuasis est, praecipue acquiescere, quod præjudicium autoritatis dicunt: vel persuasione intellectus acutissimi, qui sine mora res eti diffciles recte cognoscere, & in iis dijudicandis vel non falli vel difficulter posse, niti. Contingit haud raro, ut falsa sint hujus generis judicia, sed si casu vera quoque sint, usu tamen loquendi sepe quoque præjudicia dicuntur, si intellectus noster iis assentiat, antequam ex suis principiis de iis statuerit. Atque ita præjudicia dici possunt ipsæ definitiones, si in his quæ generi convenient, & quæ differentiam faciunt, secundum aliorum opinionem, non secundum rei, qua percipi potest, indolem diligenter expensam digesta in ordinem fuerint. Ipsæ vero enuntiationes & ratio[n]ia præjudicia erunt, si priusquam de convenientia illarum cum definitione, horum cum enuntiatione constet, utrisque assensum præbuerimus. Idem contingit in probabilitate, si hypothesi calculum nostrum adjiciamus, eti convenientiam hujus cum phænomenis nondum satis cognoverimus. At vero habitus logicus usu licet

licet vulgari confirmatus, alacritas intellectus est iudicia mentis de rebus ex circumstantiis satis perceptis formandi, ita tamen acquisitus, ut viam recte ratiocinandi intellectus citra contemplationem operosiorum, quæ ad logicam artificialem requiritur, notaverit, illaque in cognitione veri incedendo magis magisque confirmatus fuerit, et si quidem ea quæ cognitionem veritatis dirigunt, sub notionibus abstractis & in classes suas collectis non cognoscat. Quare præjudicia dici non poterunt, quæcumque ex tali habitu intellectus hominis judicat. Siquidem ex principiis, e quibus convenit de veritate statuit, nec ultima assensus fundamenta ex aliorum testimonio petit, vel nimia persuasione intellectus fallere nesciit, et si habitus, ex quo hæc judicia profiscuntur usu vulgari tantummodo acquisitus sit, atque adeo & gradu perfectionis ab eo quem regulæ acroaticæ dirigunt, differat. Videri quidem posset, habitum usu confirmatum, quem regulæ vulgares dirigunt, frustra a nobis distingui ab illo habitu intellectus, qui usu regularium acroaticarum acquiratur, cum talis quidem habitus vulgaris Logicæ, quem definivimus, nusquam existat. Verum supervacaneum foret rem exemplis illustrare, cum experientia quotidiana doceat, rusticos, opifices, mercatores inveniri, qui tali habitu logicæ, quem usus rerum vulgaris, inde enata vulgares regulæ & exercitatio effecerunt, pollent. Idem vero habitus id præstat, ut homines illo instructi, ea quæ ad officia eorum ex rationis dictamine pertinent, cognoscere & cognitione illa ad obsequium modo quo

crea-

creaturæ ratione præditæ convenit, inclinari possint. Equidem veritates difficiliores dari, quarum cum principiis nexus valde impeditus & dubius est, quaque adeo ii, qui perfectiore habitu logicæ, aut si veritates mathematicæ sint, algebra destituuntur, vix intellectu comprehendunt, non inficior: at vero harum quidem numero eximendæ sunt veritates practicæ, quæ officia quantum ratio de illis decernit, præcipiunt. Tales vero sunt, Deum colendum, illius obediendum esse, esse ea, quæ corpus integrum sanumque conservant, quærenda, intellectum cognitione veritatis in primis necessaria imbuendum, tranquillitatemque animi consecrandam, & ut hæc apud nos & alios commodius obtineamus, in societate vivendum esse. Hæc ab iis quoque, qui habitu Logicæ usu rerum præeuntibus regulis vulgaribus acquisito polent, cognosci posse existimem. Etsi enim has veritates practicas ipsi quidem suo marte sèpius non inveniant, sed ab eruditis edoceantur homines rudiores, eaque inter gentes doctrina magis exculatas olim a viris sapientibus ex lumine rationis inculcatæ fuerint: dici tamen præjudicia nondum poterunt, si modo, quicquid ita edocentur, non propter testimonium doctorum, sed quod ipsi nexum propositionis practicæ cum principiis, quem solide commonestrant eruditæ, intellectu suo perpendentes deprehendant, approbent. Cui vero negotio habitum usu rerum vulgaris acquisitionem sufficere, experientia satis confirmatum arbitror. Dari homines rudiores, qui & veritatem practicarum nexus cum principiis non per-

Spiciunt, quorumque cognitio multum ex præjudicio trahit, ideo scilicet quod nec usu rerum vulgari habitum cognoscendi verum acquisiverunt, nemo negabit: neque de eo quæritur, sed de eo quærimus: an habitus verum cognoscendi usu rerum vulgari acquisitus, qui adesse poterat, si in subjecto adsit, sufficiat? quod omnino ita videtur. At si porro quæras, num ea sit apud omnes intellectus vis, ut ab ipsis usu vulgari rerum acquiri habitus Logicæ possit, qui sufficiat ad nexum veritatum practicarum talium quidem, de quibus supra nobis sermo fuit, & quæ his similes sunt, cum principiis detegendum? negari quoque non poterit, dari nonnunquam ingenia maxime hebetia, quæ vix usu rerum vulgari talem habitum acquirunt, sed nec illi regulis Logicæ acroticis eo pervenient; quare ex eo habitus Logicus usu rerum vulgari acquisitus in contemptum adduci non poterit. Licet vero talis cognitio hominum qui hebetioris ingenii sunt, qua & veritates practicæ illis innotescunt, variis præjudiciis sit commixta, eo quippe sensu quod judicent, cum intellectus ipsum veritatis quam amplectuntur, convenientiam cum principiis non satis persentifcat: tamen si propositiones, quibus assentiuntur veræ & praxis iis præscripta legi consentanea sit, quod cognitione hac culpam contrahant, si exhibitis omnibus mediis ultra surgere nequeant, non agnoscit: at stupore naturali, qui emendari non poscit, ad contrarios primis veritatisbus practicis errores intellectus inclinari homines simpliciores, negat omnino sana ratio.

§. XI.

Aliud vero statuendum est de his, qui nomen eruditum in quacunque classe, quam facultatem dicimus, tueri cupiunt. His utique incumbit, ut non tantum usu rerum vulgari habitum cognoscendi verum acquirant, sed ut habitu omnino logicæ polleant, quem regule acroaticæ dirigunt. Cum enim eruditus solidaque scientia imbutus recte dicatur is, qui rerum, quæ ad salutem generis humani pertinent, causas meditatione investigandas cognoscit, illasque ex principiis suis declarare & probare novit, facile apparet, officium ejus esse, ut veras, claras & distinctas de objectis ideas formare, accurate easdem definire & dividere, enuntiationes componere, ex propositionibus fundamentalibus novas conclusiones nexus legitimo elicere, & hæc ipsa consecraria una cum axiomatibus, divisionibus & definitionibus primisque harum principiis perspicuo & distincto ordine exhibere, atque adeo meditationum suarum systema quoddam proponere sciat: aut, quam ex pluribus circumstantiis collectis, veritatem probabilem, rejectis iis, quæ possibiliterem quandam aut probabilitatem difficiliorem fistunt, ea ratione, qua in intellectu assensum efficit, declarare valeat. Patet quoque incumbere eruditio, ut veritates ab aliis propositas ad propositiones earum fundamentales, has ad definitions, definitions ad ideas, ideas denique vel ad sensionem externam vel ad perceptionem internam mentis revocet, ut de nexu subjecti & prædicati, de quo quæritur, ex primis principiis suis constet. At vero

circa veritates suas nec Philosophus, nec JCtus, nec Medicus, imo nec Theologus in quantum & huic meditatione rerum divinarum opus est, eo modo versari poterit, nisi principia veritatis in genere ex logicis teneat. Cum enim veritates, quæ in disciplinis occurrunt, applicatione principiorum de veritate in genere ad objectum speciale constent, facile patet, eos, qui principia veritatis in genere ignorant, nihil fere habere, quod veritatibus his cognoscendis applicare possint, nec normam satis perfectam ipsi esse, ad quam revocare exempla, de quibus querimus, earumque convenientiam explorare queant. Minus itaque tutum erit illi, qui, quānam sint rectæ definitionis in genere requisita, ignorat, judicium de definienda veritate doctrinæ moralis, juridicæ, medicæ, imo & theologicæ permettere. Etsi enim habitum ex usu rerum vulgari acquisitum veritatibus practicis quantum satis est cognoscendis apud illos, qui eruditi non sunt, sufficere posse asseruerimus, tamen eruditos ab obligatione logicæ artificialis addiscendæ liberandos non sequitur. Possunt enim habitu tali viam monstrante, qui eruditi non sunt veritates practicas, quarum cum principiis suis nexus tam impeditus non est, ita cognoscere, ut hæ ita cognitæ ad praxin dirigere illos possint: at vero eruditorum est, ut ipsi non tantum veritates quæ faciliores sunt, sed & quarum cum principiis nexus magis impeditus est, cognoscant, utrasque ita cognoscant, ut non tantum ipsi nexus harum veritatum cum principiis clare satis perspiciant, sed ut illum quoque aliis clare & distin-

distincte exponere, & difficultatibus, quibus urgetur, quantum ex rei natura fieri potest, expedire, & errores oppositos cum πρώτα ψεύδη eorum detexerint, solide convellere norint. Non poterunt de defectu temporis & mediorum, quodque alia quæ magis necessaria sint impedianc, conqueri, qui eruditi nomen tueri volunt. Cum enim hoc vitæ genus elegerint, ut rerum generi humano maxime utilium & meditatione sagaciore investigandarum habitu polleant, & in eo aliis succurrant, omne tempus & media in eo quidem collocanda sunt, ut iis quæ solidioris rerum cognitionis fundamenta sunt, animum quam maxime imbuant. Certum quidem est, eruditos quorum intellectus in cognoscendis iis, quæ facultati, ut dicunt, eorum propria sunt, multum versantur, hac quoque exercitatione ad cognitionem veri magis perfici, quam usu rerum vulgari homines non eruditos: At huic quoque habitui exercitatione magis conveniente alias acquisito multum antistare logicam artificialem, quæ ad regulas perfectiores rectam in cognoscendo omni vero intellectus nostri viam declarantes totum negotium dirigit, facile judicabunt, qui ad regulam lineas duci perfectius quam manu sibi relicta quamvis multum hac in re exercitata dirigente, sciunt: Cumque insigne veritatum quæ in Philosophia & reliquis quas dicunt facultatibus obtinent, ad salutem generis humani momentum, atque adeo in his certam sententiam tenere satis operæ pretium sit, quidni qui nomen eruditii gerit, omni nisu id, quod cognitionem veritatis maxime dirigit & confirmat, confectetur. Ipsiā quidem res disciplinarum qua percepti-

oni nostræ obviae sunt, quæque specialia veritatum specialium principia sunt, logica artificialis non suppeditat, sed hæc usum ejus insignem non tollunt, cum illa quidem principia specialia vel circumstantias objecti perceptas, in ordinem recte redigere, verumque a falso separare nihilominus doceat.

§. XII.

*Consecutariūm
de logicæ arti-
ficialis in aca-
demis cultu-
ra non negli-
genda.*

Ex his vero patet Logice imprimis in Academiis inter disciplinas philosophicas, quas propædeuticas esse disciplinarum superiorum rectissime jubent, sedulam maxime operam a facultatis cuiusvis studiose esse impendendam, idque maximo solide cognitionis detimento sapientia negligi. Id quoque ex supra dictis collendum est, omnes illos, quibus tempus & facultates suppetunt, præter ea quæ vitæ generi, cui se dederunt, necessario inserviunt, plura, quæ illi commoda sunt, addiscendi, obligatos esse, ut in his quoque logicæ, quam regula perfecciores dirigunt, non ultimum locum tribuant.



(O)



ΕΠΙ-

E P I M E T R A.

Cognitio philosophica grammatica multum fa-
cit ad sensum scriptorum accuratius decla-
randum.

Genesis affectuum cognita pathologia vera in
oratore necessaria est.

Convictio Spiritus S. usum logica artificialis in
theologo non abolet.

Vera Metaphysica cognitio theologo perutilis
imo necessaria est.

Sensio externa minus accurate perceptio in or-
gano corporis externo sine conscientia rei pra-
sentis dicitur.

Axioma doctrina moralis: facienda sunt ea,
qua hominem vere felicem reddunt, prius est
illo, quod hominem socialiter vivere debere
principit.

II. Reg. XXIII. 29. & II. Paral. XXXV, 26.
Josias Rex Iude non libidine bellandi, sed
metu incursionis hostilis, forte etiam fædere
cum

*cum Assyriis adductus regem Agypti transi-
tū prohibuit.*

*Affectus omnes in se malos esse verum non est,
nec omnes in se indifferentes esse satis accu-
rate dicitur.*

Datur enthusiasmus poeticus.

Unitatem esse numerum & non esse dici potest.

*Creatio mundi est actus voluntatis divinae li-
berae.*

*Fraudes in gentium religione detectæ male ad-
ducuntur ad omnem cultum externum pro
commento politicorum venditandum.*



01 A 6731

ULB Halle
004 122 828

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



5
QVÆSTIONEM
AN HOMINES OMNES ET
SINGULI AD STUDIUM LOGICÆ
ARTIFICIALIS OBLIGEN-
TUR?
DISSERTATIONE PHILOSOPHICA
AUSPICIIS DIVINIS
INDULGENTE
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM COLLEGIO,
PRO LOCO
IN EODEM OBTINENDO,
ULTIMA VICE
EXHIBENDA EXPENDIT
I. BENEDICTUS GOTTLÖB CLAUSWITZ,
S. TH. BACCAL. ET AD AED. S. PETRI CATECH.
A. C. N. 1718. DIE III. DECEMBR.

LIPSIAE,
TYPIS IMMANVELIS TITII.